



Sereniss. Illustrissimoque
N A V A R R A E O R V M
R E G I
H E N R I C O I I I.
M E C O E N A T I M E O
C L E M E N T I S S.



*V*AE sunt cause, Rex Serenissime, quæ me potissimum ad dedicandos consecrandosq; tibi labores meos Homericos impulerunt: altera quod officij mei ratio ita postularet: altera quod Regia tua Maiestate nõ planè indignum munus aliqua ex parte videbatur. Primã quod attinet, cum ego mihi optimè sim conscius augusta illius munificentia tua, qua me in hoc studio literario, post Illustrissima tua matris, Regina JOANNAE pie & sempiterna memoria, fatũ longè funestissimum, cuius ego primũ liberalem manum expertus eram, clementissimè hactenus cohoneasti, hoc quicquid est opella mea iurè tibi à me destinatum est: quod equũ esse soleat, ut cuius beneficio seges excolitur, illius fructus qualescunq; tandem illi sunt, maximè percipiat. Sed & hoc alijs nominibus facere planè debui. Cui enim parens meus, Maiestatis tuae à consilijs & secretis (ut de maioribus tuis, quibus etiam iam à multis annis in eadem dignitate, cum laude satis ampla, inseruiuit, conticescam) seipsum, suos, suaq; omnia omnino deuouit, par fuit me illius vestigia insistentem in hac adeo ætatis meae teneritate reliqua meae uitae institutum hoc factò indicare, quod in his mortalibus nihil sibi proponit antiquius, quàm ut me totum tibi, ex iure tuo, planè mancipet. Accedit quod cum sub tua Bearnensi ditione, unde etiam ex parte familia nostra est propagata, ab aliquot annis uiuamus, quo nomine in tuam potestatem omnino uenimus, nulli equius fuit ista à me offerri, quàm ei quem ego pro nostro principe & augustissimo domino demum agnosco. Atq; has equidem rationes instituti mei non solum Maiestati tuae, sed etiam cuius alteri facile me comprobaturum spero. Alteram uerò causam quod spectat, multis, ni fallor, arrogantius locutus videbor, qui hoc munus nostrum Maiestate tua aliquatenus dignum pronunciauerim. Audire enim nonnullos mihi iam uideor dictitantes, grauioribus te negotijs occupatum, putà etiam bellicis curis, cū quibus rancidus iste Melesigenes, qui postea Homeri nomen obtinuit, nullum habeat commercium, sed qui ad puluerem literarium relegandus sit, & ijs dignus demũ existimandus qui his uilioribus studijs dediti, altiora, quibus Maiestas tua distinetur, minimè spirare possunt. Ergo tibi tubas, lituos, buccinas, sclopetos, tormentaq; alia bellica, loricas, galeas, equos cataphractos, reliquũ deniq; apparatus militarem potius offerendũ fuisse censebunt, quàm has nuõas, ut appellant, scholasticas, in quibus nihil est, quod regijs auribus & oculis dignum uideatur. Ne illi parum intelligũt, tum quis tu sis, tum quid sit illud, quod Maiestati tuae
a 3 offero.